

Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines,
Quos ultra citraq; nequit consistere rectum.

Virtutis igitur iter tenere, veluti circuli centrum invenire, difficilimum est, ut non sine causa dictum sit: *καλεπὸ τὰ καλὰ*, id est, difficilia quæ pulchra.

~~~~~

Cap. VI. De Pietate.

**H**Uc usque habuimus generalem virtutis considerationem; sequitur specialis in singulis virtutibus.

2 Virtus respicit vel Deum, vel hominem.

SCHOL. Distributio ex objecto externo è Decalogo petita. Justus Lipsius in polit. virtutem distribuit in pietatem & probitatem, quod idem est.

3 Virtus quæ Deum respicit est Pietas, quæ homo promptus est ad religiosum cultum Deo præstandum.

SCHOL. Græcè dicitur *δὲσέβεια*, quasi dicatur, bonus cultus. <sup>*πῆ*</sup> Latina vox est *οἰωνυμῶς*. Quum enim latè sumitur, etiam filiorum erga parentes observantiam notat; si verò strictè ut in hoc loco, tantummodò ad Deum refertur. Huc igitur referendæ sunt omnes illæ virtutes, quas Theologi in enarratione præceptorum primæ tabulæ Decalogi recensent. Tanta autem hujus virtutis etiam apud Ethnicos Philosophos invenitur commendatio, ut Aristot. lib. 1. Topic. cap. 9. castigatione & fustigatione dignum judicaverit eum, qui, an Deus sit honorandus, dubitet. Plato in Timæo pietatem vocat summam apud homines virtutem. Et Seneca in Epistolis, neesse est, inquit, virum bonum summæ erga Deum pietatis esse. Justus Lipsius lib. 1. polit. cap. 2. pietatem descri-